

**Questio medica, an paucis & simplicibus contento aetas longior, vita  
salubrior? / [Jacques-Louis Alleaume].**

**Contributors**

Alleaume, Jacques-Louis, 1724-1802?  
Guettard, Jean Etienne, 1715-1786.  
Université de Paris.

**Publication/Creation**

[Parisiis] : [Quillau], [1749]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vmce7p8a>


**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



B. Audran Sc.

# SERENISSIMO PRINCIPI AURELIANENSIO DUCI,

DEDICAT, VOVET, ET OFFERT

OBSEQUENTISSIMUS J. L. ALLEAUME, S.F.M.P.B.

## QUESTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,  
*mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis octavā mensis*  
*Maii, Anno Domini M. DCC. XLIX.*

M. JOANNE-STÉPHANO GUETTARD, Regiae Scientiarum  
Academiæ Socio, Censore Regio, & Serenissimi Aurelianensium  
Ducis Botanico, Doctore Medico, Præside.

*An paucis & simplicibus contento atas longior, vita salubrior?*

### I.

OMNE NOCET NIMIUM, MODICIS EST LONGIUS ÆVUM;  
SUMMA CADUNT, DURANT SED MODERATA DIU.



ATURAM si sequeris ducem, vix aberrabis, teste Tullio:  
Modò suadet, mox imperat. Suadenti, auscultandum; imperanti,  
minimè reluctandum. Quidquid contrà fit, non impunè fertur.  
Caveas tamen ne dum ei velis obtemperare, sanctitas ab eâdem  
leges, imprudens, transfilias. Ne te ducat in vitium culpæ fuga,  
neque decidas in syllam cupiens vitare charibdim; in omnibus  
esse modum sapienter constitutum pulchrè calles. Hunc firmiter  
qualem decet justum & tenacem propositi virum tene. Natura paucis est contenta;

z

quidquid ejus excessit modum, pendet instabili loco. Necessaria tantum postulat; nec plus ultrà. Qui querit multa, mala querit. Cui contingit quod satis est, nihil amplius optet. Hinc nec plus quam par erit cibi potusque assumendum, nec æquominus. Uterque pari celebrandus necessitate. Reficiat uterque, non sternat. Nutriat, non obruat. Id fiet cum quantum succi nutritii avolaverit, tantumdem fuisse resarcitum, tibi fuerit perspectum. Scias interim id ipsum te affecutum esse, si functiones citè, tutè & jucundè, si liberè, si cum constantia quâdam, certa sanitatis & roboris indicia, exerceantur. Rem exemplo juvat illustrare. Quemadmodum enim superficies aquæ oblatas rerum imagines clarè nequit exhibere, si placida non sit ac limpida; sic mens res objectas non potest percipere, sic corpus sua alacriter munia obire nequit, nisi corpus impuris sordium fontibus sit immuno.

## I I.



ERUM ea est hominis lapsi misera sors, lugenda conditio, ut cum Tragici Medeâ, meliora quidem videat sèpè sèpius, probetque, deteriora tamen plerumque sequatur. Si verbis adjicias fidem, sanitatem nihil jucundius, nihil præstantius; amissam dolet, restitutam prædicat, ut amatam sibi Vestalem habet, Reginamque præ cæteris colit Penelopem. Quisque demùm eam ambitionè querit, nullus ferè invenit. Nec mirum! Quæ parens Naturæ dedit ad salutem, exitio vertitur; cibis potulentisque non tam utitur, quam abutitur. Blandis voluptatum lenociniis irretiri nos patimur; aspice libidinosum, ut gulæ totus serviendo turgescit, ut cœno volvitur, & amica luto fus, genio indulget suo. Auream verò si negligas mediocritatem, quot mala te undique circumvenient? E contrà si ad ea quæ à simplici tenuique victu dimanant commoda, paulisper attendas, quæ & quam ampla omnium bonorum seges te manet? Hæc inter eminet integra sanitas. Est enim ea individua frugalitatis comes, unde suâ velut sponte fluit ætas longior, salubrior, scilicet sanitas à libero functionum exercitio, hoc ab expedito jugique solidorum cum fluidis commercio; sed amicum illud amborum fœdus non magis elucet, non magis perficitur, quam si ab omni collusione immune stet corpus, atque vigeat. Felicem illum hominis statum à legitimo rerum non naturalium usu, imprimis verò cibi & potus scaturire nemo nescit. Sit cibus simplex, tenuis; sit similis potus; dicta hæc surgunt commoda. Concoctis nimis cibis, mutatis, assimilatis, nil remanet noxiū, nil superfluum; tum demùm calor naturalis, si quid sit, actione vigens perpetuâ, toto digestionis negotio semel peracto circâ id post modum occupatur, unde ejus quod nocitum erat, coctio, & per varia corporis spiracula eliminatio, expulsio,

## I I I.



TILLA felige, fuge noxia, amove superflua, hæc tria sunt sanitatis veluti compendium, in eâque tuendâ arcanum arcanorum maximum. Cibus non qui plurimus, sed qui suavissimus, eligatur. Parabile & appositum est quod natura desiderat; ad supervacanea sudatur, ad manum est quod satis est. Quot hominum unus venter exercet? Illi verò apud Medicos cibi potusque utiles dicuntur, qui nativam solidis *crafim* conciliare, genuinamque fluidis *diasem* conservare, tueri, fovere valent. His contraria nociva sunt. In genere naturæ inimica sunt superflua, nimis exquisita, vim ejus & robur excedentia. Verbo detritæ actuositate vitæ vires nostræ languent, eas laboribus diuturnis lapsas restaurare expedit. Præsto sunt alimenta tam boni succi quam indolis. Mox satiscebat

innatum fibris elaterium, illud novis eas alluentibus succis nunc restituitur. Mox peccabat fluidorum motus minutâ horum quantitate, depravatâ simul qualitate, novo succorum nutritiorum incremento nunc reficiuntur. Quid si rigidibus nimium fibris, rigidia nimium addas, nonne erit oleum igni addere? Sic spirituosi liquores, sic acria lœdunt maximè. Quid si sic depravatis fluidis, vel pravam adhucdum qualitatem, vel nimiam horum miscendo atque ineptè cumulando conchilia turdis, qualitatem procreanda, ingeras; erit sanè morbum morbo congerere. Vid'en quantâ cautelâ necesse sit in convenienti ciborum administratione. Num à quocumque vivendi modo te fieri sanum existimes? Noli putare; quæ ad optandum sanitatis templum via perducit, facilis admodùm; fallax, lubrica ac plurimis aspera deprehenditur. Plures enim vi-deas in ipso sœpè tramite fatalem subire ruinam; isti quod assequi putant, non assequuntur, & miserè pereunt. Insani! in innumeros ferè apoplecticos, vertiginosos, anhelantes, syncopticos, suffocatos, mentem converte; undè ipsis prima mali labes, nisi à ciborum omnigenum quantitate & qualitate peccantium ingurgitatione vix interrupta. Eritne quispiam sanæ mentis qui hæc vel audiendo, vel legendo non agnoscat quām necesse sit ad beatos, tranquillos, nec diris morborum spiculis exagitatos dies transfigendos, modicè modicis uti.

## I V.



U I S agrestem oculis subjice continuis sese laboribus exercentem: affixum campis, frigora, æstus & externa quæque sustinentem, cibis simplicibus, siccis, duris, tenacibus & pro virium momento tantum utentem, contemplare; ut vasto incedit corpore, duro, constanti, firmo; ut laboris patiens est, ut morbos validos arcere valet. Olli thorax latus, amplus, abdomen gracile & compressum; humeri, brachia, femora, crura, firma, torosa, carnosa, hirsuta, densis setosisque pilis hirta; cutis dura, caro multa, adeps parcius, porrò omnia hæc non aliundè scaturire quām à moderato, necnon naturæ consentienti alimentorum usu, certissimum est. Istum pariter longæviorem futurum facile existimo. Aliud non inferioris momenti exemplum in Riverio reperitur. Vir nobilis cùm ad triginta-quinque annos vitam insalubrem vixisset, sicut multis remediis usus esset, variis frequenter morbis conflictatus, tandem Medici prudentis consilio solo victu simpliciori, diætâque tenuiori morbos illos cœpit oppugnare, quâ perseverante cibum scilicet & potum sensim imminuendo, obtinuit ut vitam incolunem à morbis liberam atque vegetam fuerit expertus, quam ultrà centesimum suæ ætatis annum produxisse legitur. Aperi-divinum Hippocratem. Sanitatis inquit studium est non satiari cibis & impigrum esse ad labores. Alias: ubi plus cibi quam pro naturâ ingestum est, hic morbum facit: alibi: dissimilia & ciborum multitudo seditionem movent. Huc spectat Galeni dictum: majores nostri paucioribus morbis laborabant quia frugalius vivebant. Plurima cibaria, si Senecæ credendum, coinquinant, non alunt. E sacris codicibus eruitur edictum illud; ne te effundas super escam, in multis enim cibis erit infirmitas; propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinentis est, adjicit vitam. Si à podagrâ ut à cæteris morbis liberari cupis, aut pauper sis, aut ut pauper vivas. Vera corporum defæatrix frugilitas, & fætitia quædam paupertas hos & chronicos similes morbos sa-piùs curat. Silentio non premam exemplum à Domino Hoffmanno allatum. Dives germanus omni deliciarum genere affluebat; otio, mollitiei deditus erat; ille ut similiter viventibus accidit, sœvissimâ adeò correptus fuit arthritide ut torpentina vix membra movere summum ob dolorem poterat, nisi titubanti ambo subcurrerent ministri. Sed corruente sensim fortunâ eo usque is penuriæ fuit redactus ut non ministri tantum carere, sed vivendi etiam modo summe tenui & parco dura eum atque flecti nescia cogeret necessitas; hinc miseriâ pressus solus incedere paulatim cœpit &

affuevit, tandem arthritide tali vivendi genere omnino liberatus fuit. An hæc commoda aliundè scaturiunt quam à simplici & tenui victu?

## V.



**G I T U R** concedas mihi necesse est firmiori sanitati frui eos qui simplicibus & paucis utuntur cibis, adeoque longæviori vitâ præditos. Sed inquies? Dictu hoc magis quam factu facile. An Reges, an Magnates simplicibus & vilibus cibis vesci convenit; an ii quos civilis vitæ status ad magnos sumptus splendidaque trahunt convivia? Respondeo cum Sancto Gregorio III moralium. Non cibus sed appetitus in vitio est; hinc lautiores cibi persæpe sine culpâ sumuntur si ad temperantia modum; abjectioresque non sine reatu conscientia. Hinc vilis nonnumquam bajulus illautum fabarum magma avidè liguriendo gravissimè & peccat & plerumque sibi nocet dum exquisitissimos etiam cibos absque noxâ quâlibet edit vir in superiori collocatus civium ordine. Non autem præcipio ut ventri subtrahas alimenta; contumax est, non potest vinci. Sed latet hic dolus & subtilissimus concupiscentia laqueus quo sæpè irretimus obtentu necessitatis negotium obumbrans voluptatis. Erycius quidam Philoxenus, insignis helluo, collum gruis, collum tricubitalē, ex comico, sibi dari optabat ad sensum voluptatis & gulæ majorem efficiendum. Dices 2°. plures reperias ad extreum usque senium proiectos qui multis cibis quotidie sese ingurgitarunt. Respondeo. Rara avis in terris. 3°. Ex Hippocrate largiori diætâ magis utendum ut facilius externa quævis sustineri queant. Fateor; id verò intelligendum relativè tantum ad unius cujusque temperamentum, consuetudinem, æstatem. Enim verò quilibet largius paulo vivere potest, parce tamen respective ad illius exercitia. Ut constet quam parvo fames extinguatur. Te ipsum numera, metire corpus, stomachum consule. Scies non esse necessarium quod mensuram excedit. Naturæ pauca sufficiunt, luxuriæ nihil. Bonæ igitur valetudinis & longævitatis quasi quædam mater est frugalitas inimica luxuriosis epulis & aliena nimiæ vini abundantiæ. Hinc concludimus,

*Ergo paucis & simplicibus contento atas longior, vita salubrior.*

Proponebat Parisiis JACOBUS-LUDOVICUS ALLEAUME,  
Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,  
A. R. S. H. 1749, à sextâ ad meridiem.